Psojecki Matthiae Stanislai: Quaestio theologica de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO THEOLOGICA,

DE

CONVERSIONE PANIS ET VINI, IN CORPUS ET SANGVINEM CHRISTI DOMINI,

Ex 3. parte Divi THOMÆ Doctoris Angelici quæst. 75.

PER

M. MATTHIAM STANISLAVM PSOIECKI,

Collegam Majorem, Sacræ Theologiæ Cursûs Radiminsciani Professorem, Protonotarium Apostolicum, Ecclesiæ S. FLORIANI Canonicum, Curatum in Osiek, Contubernij Jagelloniani Provisorem, Vniversitatis Cracoviensis Procuratorem,

Publicè ad Disputandum,

In Augusta Divi Iagellonis Aulâ,

Lectorio DD. Theologorum,

PROPOSITA,

Anno Domini, 1691. Pridie Kalendarum Junij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

VTrum In Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo post consecrationem existit Corpus Christi secundùm veritatem, sine ulla remanentia formæ Substantialis Panis & Vini, solis eorum remanentibus accidentibus, fiat Conversio totius Substantiæ Panis in Corpus, & totius Substantiæ Vini, in Sanguinem Christi. nec ne?

CONCLUSIO I.

IN Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento post consecrationem, existit Augustissimum Corpus Christi secundùm veritatem.

COROLLARIA.

I. Asserere in hoc Sacramento Corpus Christi Domini, esse secundùm figuram, aut sicut in signo, hæreticum est.

II. Christus verus Deus, & homo totus quoad substantiam existit sub qualibet specie.

III. Christus quo ad substantiam, & accidentia, non solùm existit sub qualibet specie, verùm etiam sub qualibet parte specierum.

IV. Corpus Christi, non est eò modo in hoc Sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic Sacramento.

V. Mysterium hoc, sensu deprehendi non potest, sed solâ fide, quæ authoritati Divinæ innititur.

CONCLUSIO II.

IN Eucharistiæ inenarrabili Sacramento, non remanet forma Substantialis Panis & Vini.

COROLLARIA.

I. Manifestum errorem continet sententia Durandi; quæ dicit, per consecrationem tolli quidem, formam Panis & Vini, sed vtriusq; manere materiam, quam putat conservari sub alia forma.

II.

II. Per miraculum potest Deus formam panis separare & conservare: sicut quantitatem & alia accidentia separat & conservat.

III. Vt forma Substantialis Panis & Vini in Eucharistia non remanent: ita nec Substantia Panis & Vini.

IV. Panis & Vini Substantia, non resolvitur in præjacentem materiam.

V. Substantia Panis & Vini non annihilatur: quamvis consecratione facta, nihil omninò eius remaneat, nec magis est actu, quam si nunquam fuisset, aut erat ante creationem mundi.

CONCLUSIO III.

IN mirabili Eucharistiæ Sacramento sola remanent accidentia Panis & Vini.

COROLLARIA.

I. Post transsubstantiationem Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem Christi: omnes proprietates Panis & Vini manent: ac si ipsæ substantiæ subsisterent.

II. In Sacramento Eucharistiæ neq; sensus, neq; intellectus fidelium decipitur: benè tamen infidelium deceptionem patitur.

III. Accidentia consecrata, immutant eodem modo accidentaliter obiecta extrinseca, ac ante consecrationem.

IV. Accidens separatum à substantia, non potest producere Substantiam, in Virtute substantiæ, cui ante inhærebat: ac perconsequens Sacramentales species, non possunt producere aliquam formam substantialem, tanquam instrumenta Panis & Vini.

V. Concursum Substantiæ (quæ tunc ageret si adesset) supplente DEO: Accidentia à Substantia separata possunt aliquam substantiam producere.

CONCLUSIO IV.

IN tremendo Eucharistiæ Sacramento fit conversio totius Substantiæ Panis, in Corpus Christi, & totius Substantiæ Vini, in Sanguinem ejus.

COROLLARIA.

I. Mirabilis hæc Conversio, fit in eo instanti, in quo completur significatio verborum consecrationis, & tam diu conservatur Christi Corpus sub speciebus; quamdiu conservaretur Panis, si sub illis speciebus existeret.

II. Conver-

II. *Converſionem totius Subſtantiæ Panis, in Corpus; & totius Subſtantiæ Vini, in Sanguinem; Sancta Mater Eccleſia, Tranſſubſtantionem appellat.*

III. *Tranſubſtantiatio Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem Chriſti; rectè ex verbis conſecratorijs colligitur.*

IV. *Terminus Formalis & primarius Tranſubſtantiationis, neq; eſt ſola præſentia Chriſti, ſub ſpeciebus; neq; Unio Corporis Chriſti ad ſpecies Euchariſticas; nec modus ſubſtandi Accidentibus Euchariſticis; ſeu conſervandi illa ſine ſubiecto: ſed ipſum Chriſti Corpus, quatenùs fit ex pane, in cujus locum ſuccedit.*

V. *Converſio hæc, non eſt converſionibus naturalibus ſimilis; ſed omninò ſupernaturalis, effecta ſolâ omnipotenti virtute DEI.*

Cui Laus, Honor, Gloria & Imperium in ſæcula.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perilluſtris, & Admodùm Rndi Domini,

D.M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac: PRÆPOSITI, Scholaſtici Curelovienſis, ad S. FLORIANUM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum per Diœceſim Crac: Ordinarij Cenſoris, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII, Procuratoris, Contubernij Hieroſolymitani Proviſoris, S. R. M. SECRETARII, ALMÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS, Generalis, & Vigilantiſſimi

RECTORIS.